

tem, ut ipsam pensionem licitam reddat ex parte ipsius Pensionarii.

Quin tamen pensiones ad sopiendas lites, aut promovendam resignationem aut permutationem possint esse licite ex parte Superiorum imponuntur, & bonum Ecclesiarum posse subinde postulare hujusmodi pensionum impositionem, tamen ex parte exigentium & percipientium sint illicita & injusta, dubitari nequit; & capite sequenti demonstrabitur: ac per consequens, & hoc titulo merito tolerantur & admittuntur.

## CAPUT IV.

Quæ ex parte Pensionariorum sint attendenda, ut securi sint in accipiendis pensionibus.

1. Ab exigente pensionem plura expendenda.
2. Imprimis qua sit natura proventuum Ecclesiasticorum.
3. Secundo quod non possit de proventibus Beneficii participare tanquam illius possessor.
4. Tertio an qua in pauperum alimoniam sunt imponenda sibi possint applicari?
5. Quam injustum sit, dari Clericis divitiis, qua pauperum usibus sunt destinata.
6. Pensiones dare non indigentibus magnus abusus.
7. Pensio uti hodie imponitur, est species servitutis imposita Beneficio.
8. Per pensionem subtrahitur portio proventuum à Beneficio contra Ecclesiam & Fundatorum ordinationem.
9. Unde Pensio non nisi dispensative imponi potest.
10. Pensionarius securitatem desiderans, attendere debet num justa causa dispensationis subsit; tamen si à Papa pensio imponatur.
11. Non minus hoc requiritur justa causa quam in dispensatione super plura aliate Beneficiorum.
12. Ex sententia Cardinalis Toleti dispensatio Papa non readit Pensionarios securos, si desit justa causa.
13. Consentunt Toletus & alii Doctores.
14. Debent ipsi Pensionarii attendere num sit justa causa.
15. Potest pensio justè annui à Superiore, licet injustè exigatur à Pensionario.
16. Penes Pontificem & Episcopos est auctoritas dispensandi bona Ecclesie in utilitatem Ecclesiarum.
17. Subinde utilitas Ecclesie requiritur, ut pensio etiam non merenti concedatur.
18. Exemplum pensionis ad redimendam vexam justè addita, licet non justè percepta.
19. Pensionum hujusmodi justitia probatur;
20. Pensiones similes subinde licite solvuntur, licet illicitè petantur.

I. I quis pensionem aliquam super Beneficio retinere intendit, atque in hac retentione & perceptione non tantum coram hominibus, sed & coram Deo tutus, & ab omni injustitiæ & Simoniacæ labe omnino exemptus haberi desiderat, plura seriò examinare & attentè expendere debet.

II. Imprimis certum atque apud omnes indubitatum est, proventuum Ecclesiasticorum conditionem & naturam ex mente Ecclesie, & Fidelium offerentium esse, ut Ministri Ecclesie ex his suam accipiant sustentationem; templa sacra & recta conserventur, sacra suppellex aliæque ad divinum cultum necessaria desumantur, & quod superest in pauperum alimoniam cedat; quemadmodum paucis verbis expresserunt Patres Concilii Aquigranensis an. 816. *Can. 116.*

“Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam ut his & milites Christi alerentur & Ecclesie exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro tempore oportunitate redimerentur.”

Hæc natura proventuum Ecclesiasticorum adeò indubitata fuit jam pridem Patribus, ut dicere non vererit anno 844. Synodus Vernensis *Can. 12.* “Certè, quod nullus quamquam inprudensissimus, negare audebit, possessio Ecclesie votum est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum, Quod & latius probabitur & exponetur infra tit. 32.”

III. Hic expendat Pensionarius, vel Pensionem desiderans, quo titulo de proventibus Ecclesie per resignationem sui Beneficii participare possit. Non titulo Ministri sive servitii; quandoquidem Beneficium dimittendo, etiam Ecclesie illius Minister esse desinat.

IV. Cum proventus si qui sustentationi Ministrorum sufficiunt, vel in templorum, vel suppellectilis Ecclesie usum, aut alimoniam pauperum sint impendendi, consequens est, ut expendatur ea sit sua conditio, ut *patrimonium pauperum*, sive quod pauperum alimoniam ex mente Ecclesie & Fidelium Offerentium destinatum est, suis usibus applicare queat?

V. Sanè si de Clericis etiam actualiter Ecclesie inservientibus dictum sit, quod “nec illi qui sua possidentes dant, si libi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiat: facile intelligi potest, quid dici possit de his qui servitium Ecclesie, quam deserunt, impendere ulterius non intendentes, ea quæ pauperibus debentur, accipiunt, si ipsi sua possideant, id est, aliunde vel ex patrimonio, vel ex proventibus alterius Beneficii habeant, unde honestè, attenta Clericali modestiâ, vivere queant?

VI. Attendant, quam injustum, ne dicam sacrilegum sit, *patrimonium pauperum*, sive proventus pauperum usibus applicandos, augendis divitum patrimoniis applicari? Et quam merito Concilium illud *De Electorum Prælatorum*, cujus supra c. 1. meminimus, dixerit: “Pensionem dare Clericis, ut *divitiis*, qui commode vivere queunt ex redditibus, quos habent, magnus certè abusus.”

VII. Ad hæc attendere debent Pensionarii, quod pensiones hodiernæ non sint nudæ & simplices elemosynæ, quales vulgaribus pauperibus dari solent, sed amplius quid præ se ferant.

Pensio quippe ex moderno stylo, est species cujusdam servitutis Beneficio vel Ecclesie imposita, per solvendi annuam pecuniam quantitatem ex proventibus Beneficii Clerico actualiter Beneficio non deserenti, nec illud possidenti.

VIII. Hinc per pensionem in effecta subtrahitur notabilis proventuum portio à Beneficio, cui ex Ecclesie ordinatione, & Fundationis lege, in sustentationem Beneficiarii, aliòque pios usus est annexa; & alteri quasi in modum Beneficii assignatur.

IX. Quapropter ex omnium Doctorum sententia, quam & moderna Ecclesie praxis confirmat, nulla pensio sine interveniente legitima Superioris dispensatione Beneficio imponi potest; de qua dispensatione agitur capite sequenti.

X. Qui igitur pensionem securè uti desiderat, discutere debet, num justa sit causa eam servituti Beneficio seu Ecclesie imponendi; sufficientisque ut *dispensative* certa portio à Beneficio subtrahatur, & suis usibus applicetur.

Porrò dispensationem, quantumvis etiam auctoritate Apostolica futuram, neminem reddere securum in conscientia, nisi justa & sufficiens causa dispensandi adit, satis ostensum est supra tit. 20. *cap. 5.* ubi de dispensatione super pluralitate Beneficiorum actum est.

XI. Rationes autem quæ evincunt, dispensationem etiam Pontificiam super pluralitate Beneficiorum non reddere quem-

quemquam in conscientia securum, si destituatur *justa causa*, etiam evincunt, dispensationem super impositione pensionis sine justa causa esse insufficientem.

Quamvis enim teste Doctore Angelico 2. 2. q. 100. *art. 1. ad 7.* res Ecclesie sint ejus (Papæ) ut principalis dispensatoris; non tamen sunt ejus ut Domini & possessoris. Unde si eas contra mentem Ecclesie, & fundatorum male dispensaret, nullatenus ex hac dispensatione tutus redderetur dispensatus.

XII. Quapropter Cardinalis Toletus *5. De Instruct. Sacerdotum cap. 83.* dicere non veretur: “Sine justa causa, inquit, non habet in foro interiori & coram Deo locum dispensatio, sed tantum in foro exteriori. Unde qui pensiones retinet, etiam cum dispensatione, si non adest *causa legitima* securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, & ipsorum est considerare quomodo dederit. Hoc, inquam, non excusat. Si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem sic male dispensare res Domini, & contra justitiam non potest eas in conscientia tum retinere. Papa autem non est Dominus bonorum & reddituum Ecclesie, sed tantum universalis dispensator. Unde sicut cum dispensat hominem in voto, non facit hominem securum in conscientia, nisi causa adit, ita in pensionum & beneficiorum distributione, causa autem hæc debet esse, in utilitatem Ecclesie cujus sunt bona. Si enim nulla via vel pacto in Ecclesie hujus, vel universalis utilitatem tenet, non est causa legitima.”

XIII. Toletus consentit Gambarus De Auctoritate Legum *lib. 10. num. 136.* docens, “quod in foro conscientie, pensio sine causa constituta pro aliquo, quia subtrahitur alimonia pauperum, & Ministrorum, non profitur obtinenti, maxime quia ita indiscreta pensiones sunt causa mille malorum.”

Et ante hos celeberrimus Jurisconsultus Guilielmus Benedicti *de Testamento de Testamento de fideicom. subdit. parte 2. num. 36. & 54.* “Causa imponendi pensionem semper injulta cenetur, si non pertinet ad utilitatem Ecclesie, cui pensio imponitur, sine ergo causa legitima utilitatem Ecclesie pensionaria concedente, non valet etiam à Papa imposita pensio.”

XIV. Quam verò sibi ipsis imponant, & blandiantur, qui de justitia cause parum solliciti, hac una ratiuncula omnem suis conscientie securitatem conciliant, *Papa dispensavit*, sive Papa dispensationem annuit, ipse viderit, supra tit. 20. *cap. 5.* sufficienter ostensum est.

XV. Denique ne Pensionarii ex facto Superiorum nimiam securitatem sibi ipsis assumant, advertant, posse nonnumquam pensiones ex parte Superiorum justè, & in utilitatem Ecclesiarum annui, & à Beneficiariis persolvi; tamen si injustè fuerint exactæ & injustè recipiantur.

XVI. Pontificem & Episcopos mansisse bonorum Ecclesiasticorum superintendentes seu dispensatores in utilitatem Ecclesie, etiam post rerum divisionem & beneficiorum erectionem, nemini dubium est. *Ut Episcopi potestatem habeant*, (inquirebat tribus circiter à facta rerum Ecclesie divisione seculis Synodus Moguntina *res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundum Canonum auctoritatem.*)

XVII. Cum igitur nonnumquam ipsa necessitas aut utilitas Ecclesie (cui rerum Ecclesie dispensatio subservire debet) exigat aut postulet, ut etiam Clerico *divitiis*, nec de Ecclesia merenti pensio assignetur, indubiè Pontifex aut Episcopus, qui unice utilitatem & necessitatem præ oculis habere tenentur, eam justè ad redimendam vexam, seu majus Ecclesie malum avertendum, nonnumquam concedent, licet ipse injustè extorqueat ac recipiat.

Quid enim, si indignum quempiam Sacerdotem à sacro Ministerio v. g. Beneficio Curato, amoveri & alium idoneum in locum illius substitui oporteret; & tamen ille sine pensione beneficium abdicare nollet: tunc indubiè salus animarum & utilitas Ecclesie permittit, imò exigit, ut velut

ad redimendam vexam potius ei pensio assignetur, quam ut cum tanto animarum detrimento in cura permaneat; si enim de suo gradu aliter exturbari, aut saltem non sine majori incommodo, & molestia, posset.

XVIII. Non ab simile pensionum exemplum occurrit in *Cap. 31.* De Rescript. nimirum, quas nonnullæ Ecclesie pendere solebant, ut se à vexationibus eorum qui mandatis à Sede Apostolica pro impetratione præbende primò vacaturæ, & sæpius sub vel obreptitè obtentis vexabant, redimerent. Solebant enim, ait Janus à Costa celebris *Ca.*, nonnulla, mandatarii isti plerumque esse contenti certâ præstatione annua sive pensione, cujus constitutione Ecclesie, contra quas impetraverant litteras, redimebant se à vexationibus impetrantium. Nam quamvis omnis constitutio pensionis hoc jure valde suspecta sit, pergit à Costa, videntur tamen hoc casu Pontifices conviventibus oculis hoc permisisse Ecclesie, quas contra veterum Canonum statuta mandatis istis onerabant.

XIX. Et certè quis hujusmodi pensiones ex parte constituentium non probaret. Si enim nemo infidelitatis aut injustitiæ accuset tutorem, qui ex rebus pupilli aliquid concedat alicui nihil juris ad illud habenti, ut pupillum ad verius injultum vitæ aut rerum suarum invalorem præferat, eumque à summo illo discrimine liberet; quis Prælatos illos accusare audeat injustitiæ aut infidæ administrationis, si partem aliquam rerum Ecclesie non merentibus tribuant, ut ab Ecclesiis arceant lupos, qui non vitæ corporali, sed spiritali indiciantur?

XX. Ad hæc, quis non videat, quod eadem ratione, qua propter utilitatem Ecclesie Prælati similes pensiones permittere coguntur, Clerici ad beneficia illa vocati easdem persolvere possint? Contra eos, qui suis injustis vexationibus Prælatos ad pensionem constituendam cogunt, non justius eas recipere, quam is, qui à tutore pupilli in casu proposito, ad redimendam pupillum ab iniqua sua vexatione, pecuniam recipit.

Nullatenus proinde sequitur: Pontifex aut Episcopus pensionem justè permittit, & Beneficiarius justè persolvit, ergo Pensionarius eam justè recipit.

## CAPUT V.

Cujus auctoritate hodie imponatur pensio? & quæ differentia inter pensionem impositam à Papa, & creatam ab Episcopo.

1. Olim pensionis assignatio sine dispensatione fieri poterat.
2. Quæ ratio illius discipline.
3. Quando dispensatio requiritur capere?
4. Canonis sectionem Beneficiorum veterunt.
5. Hæc contrariari Pensiones creditum est.
6. Quæ de causa Canonis sectionem Beneficiorum veterunt pensionibus applicati?
7. Hinc ulterius creditum pensiones sine dispensatione Canonum imponi posse.
8. Ino visum fuit requiri Pontificiam dispensationem.
9. In G. illa Episcopi pensiones imponere non possunt.
10. Quæ ratione Synodi Simoniacas reputent pensiones sine auctoritate Pontificis impositas?
11. Synodi declarant de Simonia suspensas pensiones sine auctoritate Papa impositas.
12. Non omnes pensiones sunt Simoniacæ, quæ sine auctoritate Pontificis imponuntur.
13. De future communi etiam auctoritate Episcopi reservari possunt pensiones? & hoc praxi Belgicæ est conforme.
14. Ex Interpretum opinione pensio à Pontifice creata est realis, imposita ab Episcopo tantum personalis.



15. *Fundamentum hujus distinctionis.*
16. *Licet dubitari possit de soliditate fundamenti, opinio hæc nihilominus in praxi recepta est.*
17. *Pensio ab Episcopo creata non obligat successorem; secus à Papa imposita.*
18. *Capitulum percipiens fructus tenetur ad pensionem à Papa impositam, & Pensionarius potest agere hypothecaria.*
19. *An ad pensionem teneatur cui ob incapacitatem Beneficiarii fuit beneficium collatum?*
20. *Pensio non creditur realis saltem in Gallia, imposita Beneficiis Curatis.*
21. *Quaratione sit merè realis respectu successoris?*

**I.** Am pridem Episcopis & Clericis pensiones alimentarias, ex provenibus Ecclesiarum & Beneficiorum assignatas fuisse vidimus capite primo. In hac pensionum assignatio primitus videtur etiam sine ulla Canonum relaxatione, sive dispensatione fieri potuisse: neque in ullis pristinis illis pensionum exemplis, ulla dispensationis seu relaxationis Canonum auctoritate Superioris faciendæ mentio habetur.

II. Cum enim necdum invaluisset Beneficiorum hujusmodi, id est, proventuum Ecclesiasticorum singulis titulis annexio, ut nimirum singuli tituli suos particulares haberent proventus annexos; etiam nondum receptum erat, neque Canonibus decretum, Beneficiorum divisionem fieri, dum proventus alicujus Ecclesie Clericis extraneis verè indigentibus assignabantur: sed sola auctoritas spiritualis & Sacerdotalis cuique titulo particulari annexa dividi vetabatur: quæ indivisa manente, nulla credebatur fieri Beneficiorum divisio: uti non obscure indicavit S. Gregorius verbis ex *Epist. 43. lib. 2. capite primo* relatis, quibus monet Episcopos per Illyricum constitutos, ut Coepiscopos quos à propriis locis furor hostilis expulerat, reciperent: "Non quidem (ait) ut per communionem Episcopalis Throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere.

III. At postquam singulis titulis sui particularis provenus annexi fuere, ipsi quoque jus percipiendi hos provenus partem quodammodo ipsius Beneficii constitutivæ creditum fuit, unà quoque reputatum fuit divisionem, & sectionem Beneficii fieri, dum hoc jus percipiendi fructus Beneficii annexum, vel potius ipsum Beneficium constitutivum inter plures dividebatur.

Cum igitur divisio Beneficiorum esset Canonibus contraria, visum fuit, auctoritate Superioris esse in pensionis assignatione, utpote quæ jus percipiendi provenus Ecclesiasticos, seu potius Beneficium inter duos quasi dividitur.

IV. Sectionem Episcopatum & Dignitatum jam pridem Canones veteraverant, quos refert Gratianus *Can. 6. 12. 39 & 41. Caus. 7. quest. 1.* at cum de Præbendis expressè non loquerentur, nonnulli harum sectionem haud vitam credebant, quomodo testatur Concilium Turonense sub Alexandro III. in *Cap. 8. De Præbendis*, harum quoque divisionem interdicens. "Majoribus Ecclesie beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur ut minorum Clericorum præbenda patiantur sectionem. Idcirco ut sicut in magnis, ita in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem & divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.

Ad hoc Concilii Turonenfis statutum reflectens Innocentius III. interroganti Episcopo, cum sæpe contingat quod ad unam Præbendam duo Clerici propter importunitatem petentium eligantur, quid sibi agendum esset, respondit: "Nos attendentes: quod si duo unam præbendam teneant, illud esset contra Concilium Turonen. quod præbendam prohibet sectionem, & si unus illorum ipsam

obteneret præbendam, sub expectatione alius contra Lateranen. Concilii statuta remaneret. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod talis electio de rigore juris penitus est castiganda." *Cap. 20. De Præbendis.*

Simile responsum ejusdem Pontificis occurrit in *Cap. 25. eod.* datum Episcopo Trecenti Cum Archiepiscopus Remensis legatus Sedis Apostolicæ duos in eadem Præbenda instituit, & ambobus Capitulum Trecenti statum in choro & locum in Capitulo, & idem Archiepiscopus prædictæ Præbendæ fructus dividendos communiter assignallent, donec alter integrum præbendale stipendium (vel ut alia lectio habet, *Beneficium*) esset assignatus.

Deinde in eadem Decretali dicitur, "quod licet in Ecclesia in qua non est determinatus numerus Præbendarum, nulla etiam vacante, in Canonicum quis possit assumi, cum intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex Electorum assensu de novo creatur, & cum electo in Canonicum nascitur, & definit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ determinatum habet numerum Præbendarum, uno indiduo jure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud, eò quod hujusmodi spirituale jus dividi seu communicari nequeat inter eos.

V. Hæc responsa si cum textu Concilii Turonenfis conferantur, admodum verisimile est, sensum Decreti hujusmodi esse, ne ipsum jus spirituale Præbendarum dividere, id est, ne unam Præbendam dumtaxat vacante, duo in Canonicos eligantur; eisque jus Canonicale, quod indivisibile est, pro dividuo assignetur: adeoque nec Decretum propriè ad pensiones pertinere: quia per harum assignationem jus illud spirituale propriè non dividitur; nec duo ad unum Canonicum assumuntur, aut Canonicatus inter ipsos dividitur: uti notavit Ludovicus Thomafinus *De Discipl. Eccles. parte 4. libro 4. capite 37. num. 3.*

VI. Quidquid sit, certum est, tandem hoc Decretum Concilii Turonenfis à Canonistis passim ad pensiones extensum, tanquam si per eas divisio Beneficiorum contra Concilium Turonense coningeret.

Quin & Decretum Concilii Lateranenfis sub eodem Alexandro III. in *Cap. 7. De Censibus*, prohibens, "ne ab Abbatibus, Episcopis, aliisque Prælatibus novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant" pensionibus applicatum fuit, quasi per hæc *novi census* Ecclesiis imponerentur. Cui applicationi non parum juvit rubrica tituli 12. libri 3. Decretalium: *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*: in cuius nigro mentio quoque sit citati Decreti Concilii Lateranenfis.

Dum enim Beneficia Ecclesiastica cum onere pensionis annuæ conferantur, censentur conferri cum diminutione: & cum juxta modernam disciplinam, Resignantes & Permutantes habeant præcipuas partes in collatione hujusmodi Beneficiorum (ut titulo præcedenti ostensum est) etiam quodammodo Collatores partem fructuum sibi reservant, dum hi pensionem sibi reservari petunt: ideoque nec sine fundamento Decretum Concilii Lateranenfis ad ipsos extensum est.

VII. Hæc itaque tum Concilii Turonenfis, tum Lateranenfis interpretatione recepta, creditum quoque fuit, pensiones, quæ in Beneficiorum resignatione ad usum Resignantium referantur, esse Juri communi contrarias: ideoque reservari aut imponi non posse, nisi auctoritate eorum, qui super jure dispensare possunt.

VIII. Et quidem cum ageretur de Canonibus duorum Conciliorum generalium, visum fuit, solâ auctoritate Romani Pontificis dispensationem hanc posse concedi, ejusque solius auctoritate Beneficiorum sectionem fieri, vel Beneficia cum diminutione conferri.

Hinc ulterius non patris persuasum fuit, pensiones solâ Romani Pontificis auctoritate Beneficiis imponi posse.

IX. Testatur Rebuffus in *Praxi parte 1. titulo De Reservationibus tam generalibus, quam particularibus num. 29.* Episcopos non constituitur pensiones; licet id non ex auctoritate juris, sed ex non usu profuixisse credat; ait enim: "Imò ex non usu amissa in hoc eorum potestas, quod non fuisset, si ignari illius non fuissent, & ea uti.

Refert quoque Choppinus *De Sacra Polit. lib. 3. tit. 2. num. 17.* jam pridem Senatam Regium decrevisse, "nullam Beneficiarii pensionis rationem haberi, nec pactiæ constitutionis ejusdem, nisi Romanus Antistes consignatis ipsam tabulis sanxisset ac stabilisset.

De eadem Regni Gallicani praxi testis est Broudeus in notis Lovetium *lit. C. num. 40.* & novissimè Joannes Cabalutius in *Juris Canonici theoria & praxi lib. 2. cap. 16.* asserit, quod "Curia Regia nullam admittit Beneficiarii pensionem nisi ex summi Pontificis auctoritate, dimanant: easque omnes oblitent, & pro Simoniaciis habeant, quas locorum Ordinarii constituunt, solis exceptis quas Episcopi Vicariis à se constitutis assignant, ut vicibus fungantur Præbendorum aut Curatorum, qui sive ob delictum, sive ob imperitiam, sive ob ingruentem morbum, vel ob irregularitatem, vel dementia suspensum sunt ab exercitio Ecclesiasticis.

X. Huic Gallicanæ disciplinæ inhærens Synodus Remensis an. 1583. *tit. 2. 3.* declarat: "omnes pensiones & pactiones super Beneficiis in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio illicitas & Simoniacas.

Ad hoc aliaque similia Synodorum Decreta reflectens Ludovicus Thomafinus *De Disciplina Eccles. parte 4. lib. 4. cap. 37. n. 12.* rectè monet, quod nequam propriè dici queat, quod Papa hic purget Simoniacum, efficiatque pensiones non esse Simoniacas. "Possunt enim (ait) esse Simoniacæ, licet eas Papa concedat, si ipsi subreptum fuerit: possuntque esse exemptæ à Simonia, si juri & Decretalibus sint conformes: tamen etiam tunc, qui eas sine auctoritate Papæ obtinent, sint suspecti de Simonia: eo quod jus novum veliteas à Papa examinari & probari. Ratio est, quia licet frequenter Papæ subripiatur contra Regulas, id tamen rariùs est, quam si omnes Episcopi adhuc essent in possessione & jure creandi omnis generis pensiones.

XI. Hæc ille, qui ibidem laudat Decretum Concilii Tolletani anni 1566. *c. 31.* tamquam exactius loquens: Declarat enim: "Si quis post resignationem Beneficii cujuslibet partem aliquam ex ejusdem Beneficii fructibus quoquo modo acceperit absque sanctæ Sedis Apostolicæ permissione, etiam ab sponte dantibus, eo ipso tam ipse, quam is qui Beneficium post renuntiationem consequutus fuerit, suspecti de Simoniaca pactione tacita vel expressa censentur.

XII. Et revera constat non omnes pensiones etiam in resignatione Beneficiorum appositas Simoniacas judicasse Ecclesiam, tamen auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenit; neque hanc auctoritatem necessariam esse, ut à Simonia purgentur, evincit non tantum multorum sæculorum praxi, quæ passim pensiones auctoritate Episcopali constitutas admittit, sed & moderna multorum Regnorum & Ecclesiarum disciplina, pensiones ab Episcopis probatas admittens, atque in hoc à praxi Ecclesie Gallicanæ dissentiens.

XIII. Imò de jure eam adhuc Episcopis integram plures non infirmè nota Canonistæ eum Nicolao Garcia De Beneficiis *parte 1. c. 5. §. 2.* vindicant, atque in Belgio hoc nostro eâ auctoritate palam utuntur.

XIV. Notant nihilominus plures Canonistæ, atque inter eos Garcia loco citato *n. 334.* quem sequitur Andreas Vallensis in *Tractatu De Beneficiis lib. 4. tit. 2.* magnam esse differentiam inter pensionem quæ à summo Pontifice, & eam quæ ab Episcopo creatur. Illam imponi ipsi Beneficio seu provenibus Beneficii tamquam onus reale; adeoque

quandam sectionem Beneficii quoad proventus inducere: hanc verò non ipsi Beneficio, sed tantum Beneficiario, seu personæ Resignantis imponi: ideoque non esse onus reale, sed personale dumtaxat.

XV. Crediderunt hi Canonistæ, per pensionem Beneficio impositam sectionem quandam Beneficiorum à Jure communi vitam induci; quemadmodum supra notatum est; non autem per pensionem soli Beneficiario impositam: ideoque priorè per solum Pontificem imponi posse, non autem per Ordinarium, qui jus commune relaxare non potest, ait Andreas Vallensis *num. 8.*

XVI. Quamvis ex supra dictis pateat, merito dubitari posse, num hæc Canonistarum sententia per omnia consona sit Decretis Conciliorum sectionem Beneficiorum vetantibus, nihilominus ubique penè, ubi auctoritas creandi pensiones Episcopis hæctenus conservata est, etiam hæc distinctio inter pensionem à Pontifice & pensionem ab Episcopo probatam invaluit: quod & Zypæus notavit. *Tit. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, Contraversia 3.* dicens: "Probabilior & magis usitata in hisce partibus opinio est, Episcopo non super Beneficiis, sed Beneficiariis tantum pensionis impositionem concedi.

XVII. Atque inde ulterius concludunt, pensionem per Episcopum creatam extingui morte Beneficiarii cui imposita est; neque transire ad successorem in Beneficium. Secus vero quoad pensionem impositam à Pontifice. Hanc enim tamquam quandam servitutem reale Beneficio sive provenibus Beneficii inhærentem transire ad quemcumque Beneficiarius, seu proventuum possessorum; tamen in litteris pensionis mentio successoris facta non esset notant Gigas, de Pensionibus *num. 44.* & Fagnanus ad *Cap. NISI ESSENT De Præben. n. 28.*

XVIII. Eodem fundamento Barbosa in *Praxi* exigendi pensiones *num. 15.* docet, Capitulum dum tempore vacationis percipit fructus Beneficii pensionem gravari, teneri pro rata temporis ad pensionem, tamquam fructibus inhærentem. Vide & Pyrrum Corradum in *Praxi Benef. lib. 5. c. 7. n. 1.*

Quin hinc statuit Gigas *num. 51.* posse Pensionarium agere actione reali hypothecaria adversus quemcumque, etiam singularem possessorem fructuum ipsius Beneficii pensionem onerari.

XIX. Refert quoque Broudeus in notis ad Lovetium *lit. P. n. 30.* judicatum, quod is cui Beneficium pensione gravatum erat collatum ob incapacitatem resignatarii, teneatur continuare solutionem pensionis: ita tamen, ut Provisus tantum teneatur solvere canones lapsos tempore quo ipse Beneficium possedit.

XX. Præterea monet Broudeus, decisionem illam tantum procedere in Beneficiis simplicibus, non autem in Beneficiis curatis; respectu quorum pensiones sunt magis odiosæ potiusque tolerantur, quam probantur: testaturque sæpe judicatum, successorem per obitum in Beneficium curatum non teneri ad solutionem pensionis, etsi legitime imposita fuerit, si ipse Provisus nullam huic impositioni consensum præstiterit. Quod & judicatum fuit quoad Beneficia curata Provinciæ Normandiæ, licet allegaretur usus contrarius hujus Provinciæ; reputatusque hic usus pro abusu. Plura vide apud Tornetium in collectione artistorum *lit. P. num. 75. & 76.*

XXI. Hoc quoque rectè notat Broudeus post Gigantem aliisque Canonistæ pensionem ita esse onus merè reale respectu successoris in Beneficium, præsertim per obitum, quique jus nullatenus à Resignatario, qui pensioni consentit, sed à solo Collatore accipit, ut respectu ipsius nihil personalitatis habeat; sed merè reale sit: ideoque non teneatur nisi præcisè quatenus ipsos proventus, quibus pensio imposita est, percipit, non autem vi alicujus consensus personalis: unde & facilius vel annullationem vel reductionem pensionis postulare potest, quam is qui consentiendo pensionem probavit; quod infra latius ostendetur.